



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES HAEC EST AUTEM BEATUS HENRICUS DE OSSÓ Y CERVELLÓ SANCTUS DECERNITUR**

«Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et, quem misisti, Iesum Christum» (Io 17, 3). Beatus Henricus de Ossó y Cervelló, horum S. Ioannis verborum veritatem detexit puer, quae res ad vitam suam penitus consecrandam eum compulit ut «Iesum cognosceret et diligeret Ipsumque traderet cognoscendum et amandum». In pago quodam ortus quern Vinebre vocant, in Tarraconensi Hispaniae provincia, die XVI mensis Octobris anno MDCCCXL, Dei amorem cognovit matre iuvante, Michaela Cervelló, muliere christiana vita praestanti. Dei amoris reconditum impulsus, quem Henricus in matre repperit, necessitudine cum Virgine Maria exinde consummavit. Montis Serrati pro ipsa Virgine sistens, XIV dumtaxat annos natus, Deo diligenti obsequens, hoc statuit: «Iesu totus semper ero, ipsius apostolus, eiusdem pacis amorisque missionarius». Ex eo inde tempore unum est persecutus propositum, Iesum scilicet amandi et sequendi, cum Eo cupiens se aequare Eumque omnibus significare. Ut hoc consequeretur, ad sacerdotium iter incepit. Anno MDCCCLXVII ordinationem presbyteralem Dertosae recepit. Seminarii tirones plus decem annos docuit, atque in munere perfungendo pastorales necessitates illius temporis plane cognovit iisque apostolice occurrit convenientem multiplicemque in modum. Anno MDCCCLXXVI Societatem Sanctae Teresiae a Iesu condidit, mulierum scilicet religiosam congregationem pro educatione catholica, ad Sanctae Teresiae spiritum. Pueri mulieresque exstiterunt ipsius apostolici muneris cura: pueri nempe quia futuri temporis sunt spes, quandoquidem «quod a pueritia discitur, novissimum e memoria deponitur», mulieres, quia «si puer instituitur, homo instituitur, si puella, mulier, educantur, familia educatur». Pro pueris, puellis familiisque impigre operatus est, ut societatem christianam redderet, efficiens scilicet ut Iesum cognoscerent et amarent, unde Is ab omnibus cognosceretur et amaretur. Beati Henrici de Ossó y Cervelló vita penitus Dei amore imbuta est. Omnes qui eum noverunt, eius ingenii facilitatem sunt experti, ipsius oblivionem sui senserunt, quas virtutes vivendo et agendo demonstravit. Eius eximiam fidelitatem amici sunt experti, atque etiam in eos qui inique se gesserunt eumque prodiderunt eandem benignitatem, magnanimum silentium et indulgentem veniam semper exhibuit. Neminem a suo apostolatu secluserit, numquam in eo nimius amor sui fines terminavit, sed potius infinitae veluti regiones patebant ad fovendam hominis assimilationem Deo. Quos per se ipse contingere non potuit, per scripta petiit, semper illo permotus magno proposito, ut «Iesum cognosceret et amaret et Ipse cognosceretur et amaretur». Magnus, promptus fidelisque amor Beati Henrici ex Dei amore natus effluebat. Quod fundamentum aliis proposuit, ut ii quoque cognoscerent, humano ex amore quem in eos ipse vertebat, amorem personalem infinitumque quem Deus in unumquemque nostrum confert. Ut cresceret in agnitione caritateque Dei, efficaci instrumento est usus, precatione videlicet. Quae precatio usque perstitit, ex qua vis fecunda apostolatus effluxit cuique ipse magister et praeco strenuus studuit. Precari docuit complures generationes, variis moribus locisque dispares, librum praesertim adhibens qui fuit «Quadrans horae precationis». Precationem, quam est complexus et docuit, a S. Teresia a Iesu didicit. Per eius scripta assidue lecta eam convent, ei eiusque spiritui se aequavit. Cum ipse expertus

esset S. Teresiam flagrantem in Iesum Christum, in Patrem et Spiritum Sanctum dilectionem augescere et transmittere, thesaurum hunc idem deinceps omnibus tradere voluit. Idcirco teresianismus peculiare est quiddam atque charisma eius presbyteralis apostolatus. Sacerdos, catechista, institutor, diurnarius, sollicitus apostolus fuit: Christi amor eum impellebat ut hic ab omnibus agnosceretur, quos interea concitabat ut ipsum Iesum personaliter convenirent. Vivens continue Dominum precabatur, ut «ei divini amoris vita morsque divini amoris darentur». Efflagitavit quoque ut vel in solitudine pariter et in paupertate eandem Christi mortem consequeretur. Ita evenit. Nam permultos annos iniquum diuturnumque iudicium in eum pendit. Hanc crucem fortiter ipse baiulavit, usque veritatem defendens et adversariis ignoscens. Anni MDCCCXCVI principio, solus, a periculis suis amotus, a Sodalitate scilicet S. Teresiae, abnuentibus et adversantibus nonnullis sororibus, in Franciscanum monasterium Sancti Spiritus Montis, in oppidum quod Gilet Valentiae appellant, se contulit. Solitudinem silentiumque requirebat spiritalium exercitationum causa atque novarum institutionum concitandarum gratia. Sed eum convenit Dominus. Cerebri ictu correptus die XXVII mensis Ianuarii anno MDCCCXCVI de hac vita demigravit. Canonizationis Processus anno MCMXXV inchoatus est. Die XV mensis Maii anno MCMLXXVI, Paulus Pp. VI declaravit eum heroum in modum exercuisse virtutes theologales, cardinales hisque coniunctas, atque die XXX mensis Maii anno MCMLXXIX Nos ipsi de miraculis ei adscriptis decretum ediximus; deinde solemnem Beatificationis, die XIV mensis Octobris anno MCMLXXIX absolvimus ritum. Paucis post annis, anno scilicet MCMLXXXIV, novum signum dedit Dominus sanctitatis sui Servi Henrici. Hac de causa congruus canonicus processus celebratus est, atque die XXI mensis Decembris anno MCMXCII, Nobis coram decreto super miro divulgatum est. Consentientibus Patribus Cardinalibus et Episcopis in Consistorio congregatis, statuimus ut Canonizationis ritus die XVI mensis Iunii anno MCMXCIII celebraretur. Quem ritum, Deo iuvante, in urbe Matritensi in foro v.d. Plaza de Colón hodie ipsi fecimus. Inter sacra igitur hanc pronuntiavimus formulam: «En honor de la Santísima Trinidad, para exaltación de la fe católica y crecimiento de la vida cristiana, con la autoridad de nuestro Señor Jesucristo, de los Santos Apóstoles Pedro y Pablo y la Nuestra, después de haber reflexionado largamente, invocado muchas veces la ayuda divina y oído el parecer de numerosos hermanos en el episcopado, declaramos y definimos Santo al Beato Enrique de Ossó y lo inscribimos en el Catálogo de los Santos, y establecemos que en toda la Iglesia sea devotamente honrado entre los Santos. En el nombre del Padre y del Hijo y del Espíritu Santo». Quibus prolatis verbis, iussimus ut Litterae Decretales conscriberentur. Sermonem deinde de Henrico habuimus ipsumque fidelibus proposuimus imitandum. Hae tandem Litterae nunc et in posterum tempus ratae habeantur, contrariis rebus nihil quibusvis obstantibus. *Datum Matriti, die sexto decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.* EGO IOANNES PAULUS

*Catholicae Ecclesiae Episcopus* Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.* © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana